

Vg  
6961





22





Q. 210. 15

III

Vg  
6961

INTIMATIO  
SEV SCRIPTVM  
PVBLICE PROPOSITVM  
IN ACADEMIA VVITE-  
BERGENSI,

AB

VRBANO PIERIO D.  
ANTEQVAM PRAELECTIO-  
nem Augustanae Confessionis  
inchoaret.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

VVITEBERGÆ.

Typis Zachariae Lehmanni.

M. D. XC.





PIETATIS ET DOCTRINAE  
ORTHODOXAE IN ACADEMIA  
INCLYTA VVITEBERGENSI  
STVDIOSIS.  
S. D.



*S*ocrate, historia Ecclesiastica autore, memoria proditum est, cū Acatius, qui Arii partes tuebatur, in Seleucensi concilio Symbolum Antiochenū, quod in Encanijs traditum erat, Nicano praeferen-

dum, mirum in modum contenderet, atq; eò audacia progredieretur, ut nouā fidei confessionē Ecclesiae Christi obtrudere non dubitaret: tum igitur Sophronium, pietate & virtute praestantissimum virum, ad hunc modum se ei opposuisse, ut hac responsi daret: Si, inquit, noua in singulos dies nostra ipsorum voluntatis & sententia prolatio, fidei formula sit: fieri non potest, quin accuratam veritatis perceptionem breui amissuri simus.

*G*Rauissimam me hercule vocem, & dignam cuius hoc loco atq; tempore mentio fieret. Verum enim-



enimuerò est confessio fidei & doctrina nostra pro-  
fessio, qua mentis ac voluntatis assensionem ac fi-  
duciam ad Deum atq; homines ita exprimimus,  
ut quid de vniuersis atq; singulis Christiana reli-  
gionis capitibus sentiamus, inde manifestè appa-  
reat. Iuxta illud regij Propheta: Credidi, propter  
quod locutus sum. Et illud Apostoli: Corde credi-  
tur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutē. Quod  
si ea fidei vera conditio est, ut illam scriptura sa-  
cra immoto fundamento niti oporteat: valde im-  
pudens sit, & cum ratione insaniat necesse est, qui-  
cunq; idem de fidei professione negare ausit: Et si  
enim formula istiusmodi confessionis, si verba spe-  
ctes, saepenumero inter se discrepare plurimum,  
quin dis dis magis dissentire videntur: tamen si in  
rebus ipsis congruant, & v<sup>er</sup>itatis sanorum ver-  
borum retineatur, non morosos neq; difficiles nos  
esse conuenit. Neq; verò ego is sum, qui eorum ef-  
frenatam libidinem probandam censeam, eorum  
inquam peruersitatem, qui fastidientes vsitatam  
doctrinam, & noua atq; prodigiosa dogmata su-  
spicientes & admirantes, malunt cum Hippia in  
eam curam in primis incumbere, ut aliquid noui,  
inauditi & inusitati in medium adferant: quàm  
cum Socrate eadem crebris sermonibus, & quidē



eodem modo repetere, ut est apud Xenophontem, hoc vel inprimis consilio, ut opinor, ne quid ab alijs didicisse, vel instar cornicis Aesopicae alienis plumis sese exornasse videantur scilicet. Genus hominum in Ecclesia pestilentissimum, dum mauult quisq; autor esse sententiae suae quam assertor alienae. Hinc tot dissidia de religione, & quot ferme capita, tot sensus in Christi Ecclesia extitere cum detrimento discentiũ irreparabili, quod querelis iustissimis deplorari sanè potest, at emendari vix, ac ne vix quidem potest, his praesertim hominum moribus, qui Cyclopum faciem referunt, quorum gubernatio à Sileno descripta exstat insigni hoc elogio: Νομάδες, ἀνὰ δὲ θεῶν ἔδειν ἔδειν.

Praclare igitur ab Illustriss. Germania Principibus factitatum est, quod priuatis ac publicis periculis gloriã Dei anteferentes, & de sua ac subditorum salute piè solliciti, non tam veritati caelestis doctrinae, per ter illum Max. Martinum Lutherum, eximium Dei seruũ & salutare organũ, ineffabili bonitate diuina instaurata atq; à tristiss. errorum pontificiorum tenebris, & profundiss. superstitionum inuolucris repurgata, locum dedere: quàm semel agnitam fortiter tueri perretere, neq; ullis minis ac terroribus sibi ac suis imminenti i-



minentium periculorum frangi potuere, quin Augu-  
gusta Vindelicorū, anno supra millesimum quin-  
gentesimum trigesimo, potentissimo & invictissi-  
mo Romanorum Imp. Carolo V. confessionem ex-  
hiberent, Iohannes Semptemuir creandis Impp.  
Romanis pater, & Iohannes Friderico filius, Sa-  
xonia Duces, unā cum ceteris Principibus & ci-  
uitatum Imperialium legatis, quorum nomina ad  
confessionis calcē subscripta meminimus. Inde fa-  
ctum est, ut scriptum istud Augusta oblatum, com-  
prehendens capitibus aliquot expositam & ex-  
plicatam doctrinam eam, quam Ecclesia Saxonica  
& cum his concordantes profitebantur, Augusta-  
na confessionis nomen atq; titulum obtinuerit. Nō  
minor laus illustris, & aeterna memoria dignissi-  
mos Principes manet, avum Henricum, patrum  
Mauricium & Augustum patrem: qui & ipse  
nihil prius, nihil antiquius duxere quam ut ha-  
rum regionum Ecclesia ab idolomania pontificia  
repurgata essent, & in illis veritatis caelestis pro-  
fessio, rebus quantumvis dubijs & difficilibus,  
conseruaretur, & ad posteros transmitteretur.  
Et tu illustris. parentum illustrissima soboles, rea-  
cte pietate ac virtute, nomine acre CHRISTIA-  
NE, Princeps ac Domine clementissime, qui dicitur



virtutē imitatus, & vestigijs paternis insistens,  
fidum Ecclesie Christi nutrimum agis, inq̄ hoc u-  
num, prasente hoc eoq̄ longē tristissimo rerum sta-  
tu, indefesso studio incumbis, ut rabies, furor ac  
maledicentia eorum, qui non necessarijs de causis  
Φιλαρχίας καὶ αὐτοκρατορίας οἰστρον περιέρχονται, id est, ambitione  
& irarum atq̄ odiorum flammis accensi, inter nos  
dissidia volunt, & quibus Ecclesia vulnera, quae  
sanari satius erat, refricare & augere volupe est,  
digna tanto Principe gravitate compescatur, &  
sua Ecclesia pax ac tranquillitas restituatur. Sci-  
licet tantò maiora pietatis in Deum & Ecclesiam  
praemia atq̄ gloria & tua & illustrissima sobolis  
ad omnē posteritatem futura sunt: quantò lauda-  
bilis est propositum hoc tuum, ad gloriam nomi-  
nis diuini & salutarem Ecclesiae concordiam di-  
rectum: & quò minus vel vlla infidorū βελωδία,  
vel malè feriatorum calumnia à semel praclarè  
cepto cursu te retrahere potuerunt.

SEcundo loco commendationem meretur in-  
signē Philippus Melanthon. At qualis ac quan-  
tus vir? ὀφθαλμὸς τῆς ἐκκλησίας, id est, oculus exerci-  
tus Evangelizantium, & Martino Luthero di-  
uinitus succenturiatus, illiusq̄ παρρησίας ac σωεργίας  
constantissimus sacrarum literarum solertissi-  
mus &



mus & fidelissimus explicator, veritatis caelestis  
patronus & propugnator in primis strenuus, opt.  
disciplinarum & artium cum instaurator tum con-  
servator, qui omnem doctrinam quasi vagam ac dis-  
sipatam collegit, & ad certam rationem reuocauit:  
vir pietate, studio pura castaque religionis, sapientia  
virtute, humanitate, benignitate erga omnes pra-  
stans, Libuit enim nunc de hoc viro usurpare ea  
verba, quae praeclare tumulo illi in hoc loco inscripta  
esse plerique meminere. Hic igitur sanctissimus  
vir Augustanam confessionem, opera studioque & cu-  
ra atque immenso labore conscripsit, cum & ceteri  
singulorum Principum & statuum Rom. Impe-  
rij, in hoc religionis negotio coniunctorum, Theo-  
logi tale quid exponere & scripto comprehendere  
iussi essent. At sola illa formula, quae à Philippo  
composita erat, prae reliquis mirifice probata, pu-  
blice recitata, & Carolo V. Imp. oblata, ac postea  
mandantibus Illustriss. Principibus, & sciente  
atque approbante Luthero, aucta, & quod nonnul-  
lis in locis cum Pontificijs facere videretur, cor-  
recta atque ad hunc modum in colloquijs religionis  
causa institutis usurpata est. Eam confessionem  
tamen Philippus scripsit solus, cum quidem repre-  
hensores haberet multos, adiutorem neminem:

Quemad-



Quemadmodum ipsemet in epistola ad Flacium  
testatur, Vt mirum profectò pia menti accidere  
possit, esse qui banc laudem beatissima animula  
inuidere audeant, Et haberi viro optimè merito  
pro pia cura ac solitudine ac tot exantlatis labo-  
ribus pessimam gratiam: Nisi illud secum accu-  
ratè perpendat, esse felicitatis, inq̃ primis virtu-  
tis comitem inuidiam: Et regium esse, si benè fe-  
ceris, malè audire. Ita enim mirari desinet. Neq̃  
tamen ob sceleratam plurimorum improbitatem,  
bonorum quoq̃ sors, quantumvis per paucorum,  
deterior esse debet, neq̃ eodem hi, quo illi, loco ha-  
bendi sunt. Siquidem per Dei gratiam adhuc non  
reperiuntur nulli, qui hanc ipsam confessionē atq̃  
illius repetitionem factam rectam esse cupiunt,  
Et suo quoq̃ loco efficere student sedulo, ut huius  
scripti diuinum opus ad posteros transmittatur:  
deniq̃ quibus Philippi Melancthonis memoria  
grata Et religiosa est. Laudatissimam igitur ope-  
ram nauant ij, qui sacrarum literarum interpre-  
tes, unà cum scriptorum diuinorum, qua ob ex-  
cellentiam βίβλια dici constat, enarratione, etiam  
Augustana confessionis explicationem coniungunt:  
Quoniam breuissimo illo scripto religionis Chri-  
stiana capita ad hunc modum cum ordine dispo-  
sita,



sita, tum simplice & aperta assertionem illustrata defini-  
taq; sunt, ut à tempore oblata confessionis certa & ex-  
plicata ratio doctrina caelestis veritatis uno scripto o-  
culis docentium ac discipulorum proposita extare coeperit.  
Quae equidem ab alijs eò rapi nolim, quasi divinam huic  
scripto auctoritatem tribuam. Tantum enim sacra scrip-  
tura, ut pote quae à Dei spiritu, sanctis hominibus illam  
inspirante atq; dictante, profecta est, ea auctoritas esse  
debet, ut sola auctoritas sit, & assensionem omnium mere-  
atur. Cum hac si Augustana confessio nostra congruit,  
ut certe in saniore intellectu congruit: inde omnino il-  
lius auctoritas estimanda venit, atq; ea à nobis facienda  
est maximi. Quotus etiam quisq; est, qui inficias ire  
ausit, opera precium esse, hoc praesertim seculo, ut iunen-  
tus studiosa, quae paulatim succrescit, ad certum dicen-  
di genus assuefiat, si illius operam Ecclesia & scholis  
aliquando usui esse cupiamus. Dixerim absq; alteri-  
us cuiusquam invidia, in nullius scriptis eam rerum  
copiam ac gravitatem, verborum perspicuitatem &  
proprietaem & iudicij dexteritatem reperiri posse,  
praeterquam in Philippicis. Hic hic enim in suis scri-  
ptis & docet, & pugnat, & vincit, & triumphat. Si  
cui huius viri scripta placent, is plurimum se profe-  
cisse sciat. Et si qua grata posteritas futura est, quod  
haud scio an hisce hominum moribus sperandum non  
B sit,



sit, illa & rectius & honorificentius de sanctissimi hu-  
ius viri laboribus iudicabit. Quid, quod aduersariorum  
furiosi clamores hac ratione compeſcēdi sunt. Ita enim  
Pontificij, modò velint, intelligent, fidem nostram ne-  
quaquam menstruam esse, neq; nouas subinde confessi-  
ones à nostris ita cōponi, ut à prima illa Augustana ex-  
hibita, & annis subsequētib; correctius edita, pro-  
pterea discesserimus. Intestini verò nostrarum Ecclesia-  
rum hostes, crudelos hypocrita, manifesti mendacij &  
atrocis ac virulentæ calumniæ conuicti deprehēdentur,  
dum harum regionum Ecclesias turpissima defectio-  
nis, nescio quibus de causis, iniquissime insimulant. Nisi  
fallor, malè habet improbos illos homines, non relinqui  
amplius locum ijs, qui primatū affectabant, & de pul-  
pitis ac catadupis debacchantes, rixas ac lites perniti-  
oses atq; exitiales mouebant, ut quauis ratione de se  
conceptā existimationē tuerentur & honori suo con-  
sulerent, licet susq; deq; omnia ferrentur & pessū irent:  
& restitui salutarem, ac multos nunc annos ardenti-  
bus, suspirijs expetitam pacem afflictæ Iesu Christi Ec-  
clesiæ: neq; eiusiã pro norma agnosci: sed secundū pra-  
scriptum librorum Prophetarum & Apostolicorum,  
trium Symbolorum & Augustanae confessionis, anno  
30. exhibita & postea recognita, eiusq; Apologia, stu-  
dia docentium ac discipulorum conformari. Scilicet hoc  
grauē



grave illud scelus est, de quo alius, ut spero, atq; is commodior dicendi locus dabitur.

Hoc consilio, ab illustriss. Electore, Domino nostro clementissimo, in hanc toto terrarum orbe celebratissimam Academiam, nunc ego ablegatus sum, qui post obitum Reuerendi & clarissimi viri, Dn. D. Davidis Voiti publicas docendi partes sustinerem. Ausim vobis de Christianissimo Principe pollicere, inclytum hoc atq; heroicum pectus, & magnificum consiliariorum collegium sollicitè cogitare, qua ratione vir pietate, doctrina, humanitate & virtute praestantissimus Pastori piè defuncto succedat. Interim, ne quid detrimenti caperet Resp. Ecclesiastica & literaria, mihi partes illa commissae sunt. Non quod unus ego è tot praestantibus & maiore doctrina copia à Deo instructis viris electus sim, qui hanc Spartam exornarem: verum ab ijs huc concedere iussus, quorum neq; auctoritatem morosè aspernari, neq; voluntatē temerè negligere me debere agnosco, ac profiteor Quae sanè istiusmodi sunt, ut candidus lector necessitatem huc migrandi mihi allatā intelligat: neue quis me unū ex ijs esse censeat, quos D. Petrus <sup>ὁ ἀποστόλος</sup> nominat, qui etiam nō missi currunt tamen, ut est apud Ieremiam Prophetā. Ego verò diuina & legitima hac vocatione fretus, animum meum illius cogitatione mirificè recreari sentio, et in fiducia non



49  
cia non aliena à me voluntatis diuinae sola acquiesco :  
sumpturus in manus ad explicandum Augustanā con-  
fessionem. Quod ut felix & faustum esse iubeat, benignis-  
simus ille omnis misericordiae pater, per & propter Fi-  
lium Iesum Christum, λόγον σωαιδίου, μεσίτην καὶ κρείττην, toto  
pectore & ardentissimis gemitibus precor. In illi & scri-  
pti mediocri explicatione, ut, vires animi & corporis  
Deo benignè augente & conseruante, labores, studium  
operam, curam, diligentiam & fidelitatem, qua me-  
diocrem scientiam & in administratione sedulitatem  
complectitur, de me auditores expectabunt : ita de in-  
dustria & modestia eorum vicissim optima quaeq; mihi  
polliceor, Illi enim à se requiri, ut sint φιλομαθεῖς, φιλή-  
κοοι καὶ ζήληκοί, meminerint. Faciam harum operarum  
initiū ad diem crastinū, qui est 26. Martij hora IX.  
in auditorio magno Collegij noui. Qui igitur publica-  
rum praelectionum auditores esse cupiunt, dicto loco &  
tempore comparebunt, modestos se gerent, candidè de  
meis laboribus iudicabunt, & ut uno verbo omnia  
complectar, eos se esse probabunt, quos veritatis & pa-  
cis amantes esse decet : praestituri officium pietatis Deo  
gratum, Magistratui debitum, parentibus acceptum,  
& sibi inprimis fructuosum. Benè & feliciter valete.

V Vitebergae P. P. die Conceptionis Christi,

anno & c. 90.

Urbanus Picrius D.




X 2206815











B.I.G.

Farbkarte #13

Dis. 210. 15

III

Vg  
6961

INTIMATIO  
SEV SCRIPTVM  
PVBLICE PROPOSITVM  
IN ACADEMIA VVITE-  
BERGENSI,

AB

VRBANO PIERIO D.  
ANTEQVAM PRAELECTIO-  
nem Augustanae Confessionis  
inchoaret.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

VVITEBERGÆ,  
Typis Zachariæ Lehmanni.  
M. D. XC.

